

Commentarii ad nuntia et studia de re liturgica  
 Editi cura Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum  
 Mensile- sped. Abb. Postale – 50% Roma

*Directio:* Commentarii sedem habent apud Congregationem de Cultu Divino et  
 Disciplina Sacramentorum, ad quam transmittenda sunt epistolae, chartulae, manu-  
 scripta, his verbis inscripta Notitiae, *Città del Vaticano*

*Administratio* autem residet apud *Libreria Editrice Vaticana – Città del Vaticano* –  
 c.c.p. N. 00774000.

Pro Commentariis sunt in annum solvendae: in Italia € 28,00 – extra Italiam  
 € 39,00.

Typis Vaticanis

ACTA BENEDICTI PP. XVI

*Adhortatio Apostolica post-Synodalis* Sacramentum Caritatis ..... 65-156

*Allocutiones:* La Croce, pienezza dell'amore di Dio per l'umanità  
 (157-161); Luce e tenebre, vita e morte (162-165); Rivestiti di  
 Cristo (166-171); Cristo, Agnello pasquale (172-175); Il bat-  
 tesimo, nuovo inizio della vita (176-180).

CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

*In nostra familia* ..... 181

*Responsa ad dubia proposita* ..... 182-183

Una Basilica Minore: San Martino a Foz (*Roberto Fusco*) ..... 184-192

BENEDICTI PP. XVI, SUMMI PONTIFICIS

Adhortatio Apostolica post-synodalis

SACRAMENTUM CARITATIS

ad Episcopos, sacerdotes, consecratos consecratasque,  
 necnon christifideles laicos  
 de Eucharistia vitae missionisque Ecclesiae fonte et culmine

EXORDIUM

1. Sacramentum caritatis,<sup>1</sup> Sanctissima Eucaristia donum est Iesu  
 Christi se ipsum tradentis, qui Dei infinitum nobis patefacit in singu-  
 los homines amorem. Hoc in mirabili Sacramento « maior » manife-  
 statur amor is, qui efficit « ut animam suam quis ponat pro amicis  
 suis » (Io 15, 13). Iesus enim « in finem dilexit eos » (Io 13, 1). Verbis  
 his infinitae actum humilitatis exhibet Evangelista quem Ille patravit:  
 antequam in cruce pro nobis moriatur, praecingens se linteo, suorum  
 discipulorum pedes lavat. Eodem quidem modo in eucharistico Sa-  
 cramento Iesus « in finem », usque scilicet ad corpus sanguinemque  
 tradendum, diligere nos pergit. Qui stupor pro illis factis Dominique  
 verbis Apostolorum inter cenandum invasit corda! Quam admiratio-  
 nem in cordibus nostris concitare debet eucharisticum Mysterium!

*Veritatis alimonia*

2. In altaris Sacramento, Dominus obviam se dat homini, ad  
 imaginem ac similitudinem Dei creato (cf. Gn 1, 27), itineris comi-  
 tem se praebens. Hoc enim sacramento cibus fit Dominus hominis,  
 veritatem libertatemque appetentis. Una quandoquidem veritas nos

<sup>1</sup> Cf. S. THOMAS AQUINAS, *Summa Theologiae*, III, 73, a. 3.

## RESPONSA AD DUBIA PROPOSITA

AN LICEAT PRETIOSISSIMUM SANGUINEM CHRISTI PRO ADORATIONE EUCHARISTICA OSTENDERE.

R. *Negative et ad mentem.*

Mens est: expositio sanctissimae Eucharistiae, iuxta normas librorum liturgicorum, fieri potest sive cum pyxide sive cum ostensorio (*De sacra communione et de cultu mysterii Eucharistici extra Missam*, n. 82), salva doctrina Ecclesiae, quae docet sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque sacramentum esse et sumi.

Normae vigentes omnino prohibent asservationem Pretiosissimi Sanguinis Christi post Missam celebratam, sicut legitur in *Instructioe Inaestimabile donum* (1970), n. 14: « Vinum consecratum ex contrario statim post communionem sumi debet neque asservari licet. Attendatur autem, ut sola consecretur vini copia ad communionem necessaria ». Idem requiritur etiam ab *Institutione Generali Missalis Romani* (tertia editio typica), nn. 163, 182, 247, 249, et ab *Instructioe Redemptionis Sacramentum* (2004), n. 107.

Ius permittit, ut, in casu necessitatis a Codice Iuris Canonici (can. 925) descripto, aegroto, qui ob infirmitatem Eucharistiam sub specie panis sumere nequit, sub specie tantummodo vini communicare liceat. Hoc in casu aut Missa ad normam iuris in loco celebratur, ita ut sacerdos statim Sanguinem Christi ministrare possit, aut Pretiosissimus Sanguis post Missam in ecclesia vel oratorio celebratam in vaso opportune obtuto in tabernaculo asservatur. Quod autem, cum sit casus necessitatis, nullomodo ordinarium consideretur. Insuper, ne speciem vini consecrati corrumpatur, communionem necesse est fieri intra breve tempus.

Ecclesia vitat Pretiosissimi Sanguinis asservationem praesertim ob periculum repentinae et inevitabilis corruptionis speciei vini atque ob difficultatem Sanctissimum sub illa specie pro aegroto communionem sine discrimine afferendi atque versandi.

A fortiori, igitur, non licet asservare vel ostendere Pretiosissimum Sanguinem Christi pro adoratione Sanctissimi Sacramenti, sive per se sive una cum sacra hostia consecrata. Insuper, reprobandus est usus ostensoria conficiendi vel adhibendi, in quibus sit vasus ad Sanguinem Christi accipiendum.